B. N. C.
FIRENZE
1011
16

1011.16

FLOREAT

Digitized by Google

ANTISTITVM BRIXIANORVM INDEX CHRONOLOGICVS,

Quem

Ex omni antiquitate congeſsit

IOANNES FRANCISCVS Florentinius Sacerdos.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

BRIXIAE,

Apud Bartholomæum Fontanam. MDCXIIII

ILLVSTRISS.MO ET REVERENDISS.MO D.D.

MARINO GEORGIO

BRIXIAE EPISCOPO,

Duci, Marchioni, Comiti, &c.

Ioannes Franciſcus Florentinius felicitatem.

DO, dicoque tibi, Præſul Illuſtriſsime, Brixianorum antiſtitum Indicem meum, in quo præter rerum geſtarum ſummam, ordinem inter ipſos, geſtique Sacerdotij tempus exploratum, quondam in incerto, complexus ſum, octo annorum ſtudio. Etenim multis modis in hac ſacra hiſtoria infracta veritas repetenda mihi fuit cum ex noſtris, vicinarumque Eccleſiarum ſcriptoribus, tum vero ex omni hiſtoria ſacra, profana, ac non tritis mo

numentis ex vtroque noſtro tabulario, & Vaticana Bibliotheca, cum Romæ, partita propemodum opera, in Iuris ſtudium ita incumbebam, vt temporis plurimum in hoc etiam opere collocarem. Hi quantulicunque labores tibi iure debebantur, quòd à me ſuſcepti ſubdito, & beneficÿs acceptis obnoxio; quodque quorum facta imitari ſtudes, eorundem imagines elegantiſsime pictas in aula nobiliſsima tuis, omniumque oculis ſtudioſe obieceris. Accipe igitur munuſculum ab eo, qui, ſi quid domeſticæ curæ permittant, allaturus eſt maiora.

LECTORI.

ANnorum numerum, quem è regione nominis Epiſcopi ferè cuiuſuis deſcripſimus, Epiſcopatus primum fuiſſe ſcias. Reliqui numeri rebus geſtis in ipſo textu iuxta narratis inſeruiunt.

Anno Dom. 53 S. Barnabas Apoſtolus S. ANATHALONEM genere Atticum ſuum diſcipulum, quem iam antea ſibi in Eccleſia Mediolanenſi ſuffecerat, Brixiæ primum Epiſcopum conſtituit, vbi ob fidem multa conſtanter perpeſſus Nerone Imp. mortuus eſt anno à partu Virg. 63. 8. Cal. Octo. Quem diem ei natalem Eccleſia Mediolanenſis, & Brixiana officio ſolenni colit. Sedit an. 10. Quorum poſtremos ſeptem in vtraque vigilia inſumpſit. Eius corpus cum inde vbi primo ſepultum fuerat in Eccleſiam S. Floriani tranſlatum eſſet, mox in Cathedralem delatum in Altare Sanctiſſimæ Crucis Auri Flammæ, deinde an. 1572. in ara S. Martino tunc temporis erecta collocatum eſt, eiuſdem brachio in priore loco relicto.

63 S. CLATHAEVS ſecundus Epiſcopus fuit; ſedit annos quinque, martyrio coronatus vnacum Caio Mediolanenſium Epiſcopo an. 68. Nerone Imp. ſub Anolino Mediolani Præfecto; ibique ſacrum eius corpus, ignoto tamen adhuc loco, iacere conſtans fama eſt. Eius memoria colitur Prid. Non. Iun.

75 S. VIATOR Brixianus, adminiſtrata ſeptenniũ Eccleſia Brixiana, ſecundus etiã Bergomatibus præfuit. migrauit ad dominum an. 88. Corpus Bergomi apud S. Narnum primum eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum in Eccleſia S. Petri collocatum, & inde an. 953. in Cathedralem S. Alexandri, & indidem an. 1561. in S. Vincentij tranſlatum eſt. Celebratur poſtrid. Id. Decembris.

88 S. LATINVS xxx1. amplius annos epiſcopatum geſſit. Graſſante Domitiani Imp. perſecutione quęque duriſſima pro Chriſto ſuſtinuit. Cœmeterium in via Cremo-

nenſi,

Anno Dom.

nenſi, vbi nunc ædes S. Afræ, quo martyres ſepelirentur dedicauit, ipſeque inibi ſepultus eſt. Eius reliquiæ repertæ an. 1464. in arca lapidea conditæ ſunt in eiuſdem templi ſacello, quod aræ maximæ proximum; & an. 1574. in ara noua ſuperioris tẽpli ad læuam aræ maioris repoſitę. Anniuerſarium eius diem Eccleſia noſtra peragit 9. Calend. April.

119 S. APOLLONIVS, alter Eccleſiæ Brixianæ patronus, ſęuiente in Chriſtianos Hadriano Imp. cum totam ferè Brixiæ ad Chriſti ſigna traduxiſſet, Fauſtinumque & Iouitam patritios nobiliſſimos ad Euangelij promulgandi ſocietatem aſſumptos ſacris initiaſſet, in domino vixit anno, vt aiunt, 143. ſub Antonino Pio. Eius corpus, vnde caput, et brachium Atho Canuſſij Marchio à Gotfredo Brixiæ Epiſcopo vel conceſſa acceperat, vel, vt alij, vi abſtulerat an. 970. & Canuſſij in abbatia à ſe erecta collocarat, ab Landulpho II. Epiſcopo in Cathedralem S. Petri tranſlatum eſt. Idem poſtea omnium ignoratione obſcurum an. 1503. poſtrid. non. Ianuar. repertum an. 1510. in arca marmorea eaque affabrè cęlata reponitur, quam collegium tabellionum faciendam locarat, cum qua anno 1604. in ſacellum Sanctiſſimæ Trinitatis, quòd templum S. Petri vetuſtatè fatiſcens demoliendum erat, deportauimus. Ei Non. Iul. feſtæ habentur. *Eo viuente Sanctiſſimi athletę Fauſtinus & Iouita martyrij palmam aſſecuti ſunt.*

Mortuo Apollonio Eccleſia Brixiana per annos 141. proprio viduata paſtore à Sanctis Præſulibus Mediolanenſibus Calimerio, Mona, Miroclete, Protaſio & Materno procurata eſt. Poſt tot denique annorum curriculum

Anno Dom. S. VRSICINVS ſextus Brixiæ Epiſcopus conſtitutus, Conſtantino Imp. collapſam diuturno paſtorum defectu morum diſciplinam reſtituit, & langueſcens pietatis, religioniſque ſtudium excitauit. Interfuit Conc. Sardicenſi
347 ſubſcriptus corrupto nomine Vrſatij. Eius reliquiæ ab æde S. Apollonij extra muros, quæ tum ad vrbis ſecuritatem ſolo erat equanda, ann. 1519. in templum S. Ioſeph Apoſtolica authoritate delatæ ſunt. Illi ſacræ ſunt Calendæ Decembris.

350 S. FAVSTINVS ex SS. Fauſtini, & Iouitæ genere, Galerio, & Conſtantio Impp. epiſcopatum obtinuit. Is eius,
354 cui ſucceſſerat, veſtigia ſecutus omne pietatis ſtudiũ mirifice auxit. S Apollonij Epiſcopi, & SS. Fauſtini & Iouitæ martyrum acta conſcripſit. Reperta eius oſſa an. 1107. à Ioãne Epiſcopo in Baſilica SS. Fauſt. & Iou. ad ſanguinẽ, nunc S. Afræ, in Altaremaius, præſente infinito omnium ordinum concurſu, recluſa ſunt. Eadem ab Alberto Epiſcopo an. 1203. ſolenniter recognita, an. 1538. Hieron. Vaſcherius Epiſcopus Guardienſis, ſuffraganeus ex arca vetere in nouam intulit. Colitur 14. Cal. Mart.

S. PHILASTRIVS Hiſpanus, ſcriptorum memoria clarus, & publicis in Sadducæos, Arianos (quorum & verberibus erat obnoxius) & eiuſdem ſectæ Mediolani antiſtitem Auxentium certaminibus inſignis, accedentibus ad doctrinam dignis vitæ meritis, & ipſe inter claros ſcriptores, & viros ſanctos numeratur. Ad Concilium Aqui-
381 leienſe comite S. Ambroſio accedit, & octauus aſſidet, vt refert Card. Baronius. Hunc S. Auguſtinus apud S. Ambroſium ſe nouiſſe Mediolani gloriatur in quadã ad Quoduultdeum diaconum epiſtola, vbi catalogum hæreſum (quem vnum ex tot eius ſcriptis ſuperſtitẽ habemus) ab

Anno Dom.

eo ſcriptum teſtatur. Romæ diutius moratus multos publica,& priuata diſputatione conuertit vt ſcribit S. Gaudentius eius ſucceſſor. Sedit annos octo. Claruit is Theodoſio Imp. Chriſtianiſſimo. exuit hominem 15. Cal. Augusti, quo die ſacro eum ritu colimus; non tamen vt maiores noſtri ſolebant à rerum profanarum tractatione abſtinentes. Is itidem ab Eccleſia Brixiana patronus colitur. Eius corpus an. 838. 5. Id. April. à S. Andreę extra Brixiã antro abſtructo vbi quingẽtos ferme annos latuerat, vna cum eius pedo ligneo, pluribus miraculis celebre in cathedralem tẽplum hyemale, illud cui poſtmodum ſuperædificata eſt Eccleſia quæ rotunda vulgo dicitur, tranſlatũ eſt. Sexcẽtis poſt annis & amplius, veritis alijs ne inde ſublatum eſſet, non paucis vero contra nitentibus, ne iniquitate loci, & confluentium aquarum iniuria detrimentum caperet, publico conſilio ibidem quæſitum, & inuentum an. 1456. à Paganino Epiſcopo Dulcinenſi decentius repoſitum, & anno demum 1572. 5. Idus Iulij à ſpecu ſubterranea exportatum, & in Altare Sanctiſſimæ Trinitatis recluſum eſt.

S. GAVDENTIVS doctrina, & ſanctitate præſignis S.
383 Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi opera an. 383. immatura ætate inuitus S. Philaſtrio ſuffectus eſt, dum Orientẽ
388 religionis ergo peragraret. Hic nobiliſſimas inde Sanctorum reliquias, & præcipue SS. Quadraginta martyrum à S. Baſilij neptibus quæ Ceſareæ monaſticam vitam degebant acceptas huc pertulit. Symbolum S. Athanaſij lucu-
400 lentiſſimis ſcriptis explanauit. Eius conciones variæ habentur in libro, qui inſcribitur Bibliotheca SS. Patrum, quarum vnam habuit ad populum in die S. Philaſtrio ſacra anno Epiſcopatus ſui 14. Harum pars inſcripta eſt ad Beneuolum Brixianum Catholicæ fidei confeſſione illuſtrem. Corpus in S. Ioannis Baſilica conditum an. 1594.

Anno Dom. ex arca lapidea in aram tranſlatum eſt, vna cum reliquijs S. Theophili Epiſcopi, & S. Siluiæ Virginis. Celebratur 8. Calend. Nouemb.

402 S. PAVLVS ſucceſſor datur. Huius, & SS. Cypriani, Deuſdedit, & Euaſij confeſſorum Pontificum reliquiæ anno 1453. in oratorio quodam ædis S. Petri in Olimeto inuentæ ex arca in ſeptentrionem ſpectante in altare eiuſdem oratorij, orientem verſus tranſlatę ſunt. Eędem an. 1563. in aram maiorem fuerunt illatæ. Agitur eius dies feſtus. 4. Non. Martij.

S. THEOPHILVS. Valentiniano II. Imp. ſcribitur Eccleſiã adminiſtraſſe. Meminerunt antiquiſſimi SS. Pontifi cum faſti eius oſſa, quæ nunc in S. Ioannis Euangeliſtæ ſeruantur, iacuiſſe in Eccleſia quæ Concilia Sanctorum dicebatur, cuius memoriam extinctam dolemus. Dies ei feſtus eſt 5. Cal. Maij.

S. SILVINVS. Huius ſacri cineres in S. Petri in Olimeto ſeruãtur eò tranſlati ab Eccleſia S. Petri in monte Vrſino Serlis imminente an. 1508. Celebratur 4. Cal. Octob.

S. GAVDENTIVS. Eius lipſana in templo S. Alexandri humili loco ſita an. 1488. in arcam marmoream dignius ſunt collocata. Colitur No. Mart.

450 S. OPTATIANVS. Hic annum circiter 450. interfuit Synodo Mediolanenſi, Euſebio Archiepiſcopo, vbi ſententiæ Leonis Papæ in Conc. Chalcedonẽſi contra Euty-

chianos

Anno Dom. chianos latæ ſubſcripſit. Ibi tamen errore nominis Octauianus legitur. Baron. in notat. ad martyrolog. Eius & S. Vigilij ſucceſſoris reliquias in æde S. Laurentij reconditas an. 1497. Bernardinus Fabius Pharenſis antiſtes, & eidem Eccleſiæ præpoſitus ex ara maxima vetuſtiore in nouam tranſtulit; ab eadem poſtea muro inhærente extractæ, ſolennique ſupplicatione per vrbem portatæ in auguſtiorē aliam, quā in medio choro Octauius Hermannius prępoſitus ſtatuerat, illatę ſunt an. 1596. Celebratur Prid. Id. Iulij.

506 S. VIGILIVS. Hunc illum eſſe, qui Concilio Arelatenſi omiſſo epiſcopatus nomine ſubſcriptus eſt, eiuſdemq; eſſe illos contra Eutychium hæreticum libros, qui in Bibliotheca SS. Patrum Vigilio Tridenti Epiſcopo tribuuntur, doctiſſimus Baronius probabiliter iudicat in notat. ad martyrol. Eius nomine celebratur dies 6. Cal. Octob.

511 S. TITIANVS Germanus. Cuius hiſtoriam leges apud Capreolum, & alios. Eius reliquias Berardus Epiſcopus ab antiquo templo S. Coſmæ quod cathedrali erat adſtructum, in nouum an. 1302. tranſtulit, aræque maiori incluſit, eas inde an. 1505. Paulus Zane Epiſc. in cellam quæ ad lęuam eſt nobiliſſimæ arcæ indidit. Celebratur 5. Non. Martij.

S. PAVLINVS, quem Rampertus Paulum appellat. Eius reliquiæ in S. Petri in Oliueto iacent, ſolenniter eo à Paulo Zane Epiſcopo ab antiquiſſimo S. Euſebij templo extra muros, tranſlatæ an. 1498. Celebratur 4. Non. Martij.

Anno Dom.

S. Cyprianus. Cui honor habetur 11. Cal. Maij.

S. HERCVLANVS, de quo librum ſcripſit Bartholomæus Vitalis, in quo tamen multa incerta cõplexus videtur. Eius corpus, quod ex Campilione inſula Benacenſi primum in ædem Parochialem Materni tranſlatum, poſtmodum anno 1486. Paulus Zane Epiſcopus viderat, an. 1580. S. Carolus Borromæus ſublatis ex arca antiqui ritus argumentis, quod ædes reædificanda erat, in ſacrarium intulit. nouiſſime ex eadem arca Ioann. Franciſcus Maurocenus Epiſcopus anno 1586. in nouam arcam aræ nouæ accommodatam tranſtulit. Agitur dies ei ſacra Prid. Id. Aug.

S. HONORIVS, de quo Maluetius, & Capreolus rerum Brixianarum ſcriptóres multa minus explorata memoriæ prodiderunt. Tranſlatæ ſunt eius reliquiæ an. 1604. ex ſubterraneo templi SS. Fauſtini & Iouitæ ſacello, et in ara ad dexteram aræ maximæ impoſitæ. Celebr. Sancti memoria 8. Cal. Maij.

S. RVSTICIANVS ciuitatis religione, & pietate magiſter omni bonarum virtutum exemplo egregius ſucceſſit. Cuius oſſa in Parochiali templo antea S. Zenonis ad forum Nonnij Arrij condita Paulus Zane Epiſcopus an. 1508. ab ara SS. Euchariſtiæ in altare maximum tranſtulit. Solennes illi Nonæ Ianuar.

S. DOMINATOR. Huius, & SS. Pauli, Anaſtaſij, & Dominici corpora ab æde S. Stephani in arce eo à S. Andreæ illata S. Carolus Borromæus an. 1581. Cal. Nouemb. ſo-

Anno Dom.

lenni ſupplicatione deportauit in templi maximi ea partem quæ S. Petro dicata erat, id quod ante centum amplius duos, & viginti annos publico conſilio decretũ fuerat, ita vt hoc munus nõniſi diuinitus Sanctiſſimo Præſuli huic reſeruatum crediderim. Quæ eadem dein ex eodem templo, quod deſtruendum erat, in altare S. Iuſtinę cathedralis rotundæ tranſlata ſunt. Celebratur No. Nouemb.

S. PAVLVS ſub Theodorico Rege præfuit. Eum 7. Idus Febr. veneramur.

S. PATHERIVS Antiochenus. Eius cineres, olim à S. Floriani in colle Digno in ædẽ eiuſdẽ Sancti quæ in pago S. Euphemiæ viſitur tranſlatos, patres Congregat. Caſſinenſis in S. Euphemiæ Brixiæ an. 1478. intulerunt. Cuius diem 9. Cal. Mart. feſtum facimus.

S. ANASTASIVS. qui inſtituta Eccleſia Brixiana diuino afflatu in Africam euocatus Chriſtianã fidem propagandi cauſa abijt. Celebratur 13. Cal. Iun.

BERTICANVS, ſiue, vt alij, Bertacenus. Hic ille eſt quem S. Gregorius lib. 4. dialog. c. 52. refert morte repentina perijſſe, quòd accepto pretio Eccleſiam SS. Fauſt. & Iouitæ, homine ibidem peſſimæ notę ſepulto, profanarat.

590 S. DOMINICVS, S. Gregorij magni, & Theodolindæ Reginæ æqualis. Hic pium ſummi Pontificis ſtudium imitatus litaniarum vſum Brixianæ Eccleſiæ tradidit, & Reginæ ope templa multa reſtituit, ſacroſque cultus inſtaurauit. Ei 13. Cal. Ian. feſtus edicitur.

Anno Dom. 621 628 S. FELIX annos circiter quadraginta Eccleſiam gubernauit. Adoaldi, & Theodolindæ regum auxilio templa quam plura erexit, & bonis auxit. Suis adhortationibus à ciuitate contra Mahometem auxiliares copias impetrauit. Sua denique opera effecit, vt quem Arianis Epiſcopum Rotharius Longobardorum Rex, & eiuſdem ſectæ in vrbe præfecerat, eundem paulo poſt tolleret. Huius cineres ab humili loco in templo S. Afræ an. 1508. arcæ alabaſtrinæ iam ante ciuitatis conſilio præparatæ illati ſunt. Celebr. 7. Cal. Mart.

82 S. DEVSDEDIT Romam ad Synodũ Agathone Summo Pont. venit, & eiuſdem Synodi libello contra Monothelitas ad Imp. Conſtantinopolim miſſo ſubſcripſit, quã uis id, quod erat additum Eccleſiæ nomen, nobis iniuria temporum inuiderit. Celeb. 4. Id. Decemb.

S. ANTIGIVS. Hunc an 800. cum SS. Fauſtini, & Iouitæ corpora ex æde eorundem nunc S. Afræ, eò vbi etiam nunc coluntur transferret, inter orandum animam Deo reddidiſſe, quidam, ſed minus probabiliter, aſſerunt. Neque hic à Ramperto memoratur. Celeb. 18. Cal. Dec.

RVSTICIANVS II. hunc peruetuſtus index teſtatur ad S. Geruaſium propter S. Andream iacere.

APOLLINARIS. ibidem ſcribitur Mediolani ſepultus.

ANDREAS.

Ann. Dom.

THEODALDVS. Huius corpus conditum pro baſilica S. Ioannis Baptiſtæ, ea ſcilicet quæ adhuc è regione Cathedralis templi extat in vſus tamen profanos conuerſa.
Hac tempeſtate Anſa Deſiderij Longobardorum Regis coniux,
Brixiæ monaſterium ad liberalitatis miraculum extruit, dotat,
753 *ditatque. Aedem præſul Brixianus S. Iuliæ dedicat, quam; Regina*
innumeris cælitũ lipſanis adnitente Stephani II. Pont. max gra-
762 *tia celebrat. Deſiderius inde Anſilpergæ filiæ eiuſdem Monaſte-*
rij antiſtiti ditiſſimum theſaurum, decem in ſuper ad Ollium præ-
dia in dotem legat. Idem è Gorgonibus inſulis corpus S. Iuliæ Bri
xiam defert in eam ædem, quam Philippus primus Imp. Chri-
ſtianus Saluatori extruxerat.

VITALIS proximus fuit. Neque præter hunc alius fuit Vitalis Brixiæ Epiſcopus, ad quem quadringentis ferme poſt annis ſcripſerit Vrbanus II. Quare merito Gregorius XIII. in Gratiani decreto emendando ſublata ex c. quod autem 30.q.4. Epiſcopi, presbyteri vocem repoſuit, incorruptum c. ſuper quibus 30.q.3. textum ſecutus.

ANSOALDVS vir admiranda ſanctitate, & diuinarum rerum ſcientia præſtabilis, eamque ob rem ſanctæ memoriæ appellatus à Ramperto in ſermone tranſlat. S. Philaſtrij. Scripſit quædã opuſcula, quæ tempus omnium edax conſumpſit. Sepultus fuit in prædio S. Petri in Olitueto.

AMPHRIDVS. Conditum eſt eius corpus in S. Fauſtini maioris baſilica, quò ab ipſo ſanctorum patronorum
800 corpora primum tranſlata fuiſſe firmis ducti coniecturis arbitramur.

PETRVS

Anno Dom. PETRVS venerabilis memoriæ vocatus à Ramperto, & medicinæ peritia nobilis, cum ex febri propemodum deploratus ægrotaret, ſuperaretque humanam opem morbi violentia ſanitatem à Deo per S.Philaſtrium exorauit. Sepultus eſt in S.Fauſtini maioris.

838 B.RAMPERTVS Gallus, quamquam alij Brixianum dicant. Corpus S.Philaſtrij à primo eius ſepulchro ad tẽplum hyemale tranſtulit, quod ipſe ſcripto libello diligentiſſime proſecutus eſt, narratis quæ tunc contigere miraculis. Leutgario abbati, & Hildemaro Monacho è
841 Gallia accitis Eccleſiam vbi cõdita erant SS. Fauſtini, & Iouitæ corpora conceſſit, nouumque monaſterium ditauit, quæ Angelbertus Mediolanenſium Archiepiſcopus in prouinciali Concilio rata habuit. Is Eccleſiam mox ipſam auguſtiorem fecit in loco caſæ altæ vulgo, & SS.
843 Patronis ſacram eſſe iuſſit 7. Idus Maij, eoq; eorumdem corpora intulit, inibique ipſe poſtea ſepultus eſt. Quadrageſimus hic antiſtes à quibuſdam numeratur.

876 ANTONIVS pietate clarus habetur, ad quẽ multæ ſunt
877 Ioannis VIII. Pont. max. epiſtolæ, quarum vna ad Ra-
880 uennæ Concilium inuitatur. Sepultus eſt ad S. Petrum.

ARDINGVS. dicitur pro porta S. Mariæ poſterulæ ſepultus. Exiſtimat Octauius Rubeus, antiquitatis ſolertiſſimus rimator hanc Eccleſiam non longe à S. Petri in Olіueto conſtructam olim fuiſſe.

LANDVLPHVS, quem aliqui Aſtenſem cenſent, monaſteriũ S. Euphemiæ extra muros erexit, quod Calixti II.

Pont.

Anno Dom. Pont.max.diplomata teſtantur.Eius præclaras laudes rude ſæculum pari carmine ſepulchro in S.Petri maioris cõſtituto inſcripſit.

NOTENGVS inde, cuius prècibus Stephanus Papa
940 VIII. in Lateranenſi Synodo priuilegia monaſterio SS. Fauſtini,& Iouitæ à Rom. Pontt. Archiepiſcopis,& Epiſcopis conceſſa confirmauit. Ticini ſepultus eſt.

IOSEPHVS. huius in tabulis noſtris memoriam nullam reperimus, cum meminerit tamen Sigon. libro de regno
947 Ital. qui quondam tabularia noſtra diligentiſſimè ſcrutatus eſt, eumque dicit à Berengario Italiæ Rege dignitate motum.

955 ANTONIVS Ioſepho ab eod. Sigonio affirmatur nouo exemplo ſubſtitutus à Berengario, quod quidem tacent publicæ tabulæ, cum tamen epiſcopum agnoſcant. Interfuit Mediolanenſi Synodo ſub Vualberto Archiepiſcopo, vbi Berengario, filioque regnum eſt abrogatum, & Otho ſuffectus, coronaque ferrea coronatus. Sepultus eſt in S.Chryſãthi Eccleſia, quę olim prope Cathedralẽ erat.

970 GOTFREDVS MALASPINA Athonis Canuſij in agro Regienſi Marchionis,& Hildegradæ fęminæ ſanctiſſimæ filius, primum Lunenſis Epiſcopus, Brixianis dein efflagitantibus ad hanc Eccleſiam tranſlatus eſt. Sepultus in abbatia Canuſij. Ex Guid. Mellin. de Orig. & familia Co. Matildis.

Anno Dom. ATHO.

ADALBERTVS.

1002 LANDVLPHVS II. Arnulphi Caſtelleonæi Patritij, & Archiepiſcopi Mediolanẽſium frater ſpectatæ ſanctitatis. Canonicos Eccleſiæ maioris, & presbyteros SS. Chriſanthi, & Dariæ, ſanctiſſimis legibus ſubiecit anno 1023. qui fuit præſulatus 21. ſepultus eſt ad S. Euphemiæ, cum ante an. 1027. diem ſuum obijſſet, non enim perueniſſe ad 1030. vt quidam cenſuerunt, conſtat, quod priuilegia S. Gratæ ſacris virginibus Bergomi cõceſſa an. 1027. autorem habeant Odericum ſucceſſorem.

1027 OLDERICVS, ſiue Vduricus. Hunc an. 1027. muneribus tanto Imp. dignis proſecutus eſt Conradus II. Siluam enim, montemq; Caſteneculi, montem Dignum, plebem Regni, cunctaque huc ſpectantia dono dedit; vrbis inſuper portoria, & ſcripturas, omnemq; (vt diplomatis verbis vtar;) publicã functionem ipſius ciuitatis, etiam extra muros ad quintum vſque lapidem; & tanquam cumulum Ollium, & Mellã, & eorum vtraſq; ripas, ab ipſis fontibus, vſque ad oſtia vbi Pado miſcentur. Ex quibus poſtea Monticulum intra vrbis mœnia exiſtentem quà
1029 iungebatur montibus, idem paſtor, quò pacem à ſuis ciuibus redimeret, libera permiſit an. 1029. Demum cum multis bonis S. Petri in monte cœnobium auxiſſet ea le-
1040 ge, vt anniuerſariæ preces pro ſe in perpetuũ celebrarentur abijt è uiuis an. 1041. & ſepultus eſt ad Sanctam Mariam maiorem.

Anno Dom. ADELMANNVS, ſiue Almannus Grammaticus (quo nomine tum cenſebantur omniũ eruditiſſimi) Leodienſis, celeberrimus ſuæ ætatis Philoſophus; cuius multa extant opera, & inter ea liber de corpore, & ſanguine domini ad Berengarium Turonenſem, ſuum olim condiſcipulum, ſed tunc ad hæreſim ſpectantem inſcriptus; quo ita iugulauit hæreſes, eas etiam quæ poſtea fuerunt, vt eius vim non ferens Caluinus autorem ignarum, barbarum, ac ſophiſtam appellando doctrinam refellere, ſeque
1046 nequicquam vlciſci conaretur. Claruit Henrico III. Rom.
1048 Rege an. 1048. Hæc Tritemius lib. de ſcriptor. Eccleſiaſticis, & Arnoldus Pontac. Burdegalenſis in ſua chronographia. Deceſſit Adelmannus an. 1057. ſepultuſq; eſt in baſilica SS. Fauſtini & Iouitæ maioris.

ODALRICVS Monaſterium S. Petri in Monte, quò ſe facultate ſummi Pontificis tranſtulit, vt ex S. Benedicti inſtituto Deo inſeruiret, ampliſsimè ditauit, quam poſtea donationem ratam habuit Pontificia, Cæſareaque auctoritas. Excommunicatus fertur à Greg. VII. Pont. Max.
1075 quod à Giberto Rauennæ Archiepiſcopo pſeudopapa, & ab Henrico Imper. ſtabat. Ex annal. eccleſiaſt. Baron. *Hac tempeſtate Petrus Damianus Epiſcopus Oſtienſis legatus Apoſtolicus cleri noſtri mores in melius redegit.*

CONO.

IOANNES maximam eccleſiæ ſuæ facultatibus plagam inflixiſſe, & anathemate conſtrictus è vita migraſſe ſcribitur.

Anno Dom. OBERTVS ille eſt á quo ciues ſibi cruẽto Marte ſacroſãctã veracis ligni crucẽ vindicaſſe tradit Capreolus li.4. corrupto tẽporũ calculo.*Eam nempè crucẽ quæ auriflãmæ vulgo vocitatur,quã,quidquid alij ſentiant,ex illis eſſe crediderim,quas Helena ſibi de crucis diuinæ ligno efformauit cum ſit cõformis,et concolor aliis,quarum alibi etiam antiquitas Helenam auctorem agnoſcit. id quod docent hic eiuſdem, & Conſtantini iconculæ, Græci item characteres aliquot thecula inciſi, qua primum allata nobis eſt, & ante condiebatur quam an.* 1557. *ex publico ciuitatis voto, cuius tum illa quod maximæ eluuiei periculum diuinitus exierat,dãnabatur,affabre et pretioſe iuxta clauderetur.*

1099 ARIMANNVS, ſiue Hermannus, vel Hertimannus. S. Euſebij templum ad vrbis Mœnia cænobio S. Petri in Oliueto adiunxit, ſolutionemq; decimarum ex illius bonis debitam condonauit; in cuius rei diplomate Vicarius etiam Papæ appellatur. Sepultus fuit ad S.Geruaſiũ.

1107 1123 IOANNES huic Henricus V. eadem bona quæ Oderico Conradus II. iterum conceſsit.

1125 1132 VILLANVS, non Iulianus, vt quidam. hunc Innocentius II. Epiſcopatu mouit an. 1132. exceſsit è uiuis an. 1144.die vero 7.Cal.Febr. Vtrumque facit,vt exiſtimem labi,qui hunc S.R.E.Cardinalem aſſerunt,cum nec veriſimile ſit redactũ in ordinẽ,noua dignitate auctum.Cum & Ciacconius quem Villanum hoc ipſo an.1144. in Cardinalium collegium cooptatum refert,eundem anno ſequenti vixiſſe dicat.Sepultus in S.Petro maiore. Præfuiſſe traditur annis ſeptem.

1132 MAIFREDVS inde clauum rexit,adquem,vt etiam ad Coſſ. Brixianos eſt illa S.Bernardi epiſtola, qua hortatur ad opem ferendam aduerſus barbaros Paleſtinam hoſtili ferro depopulantes. Eugen.III.Pont.Max.Africanum Ar

Anno Dom. chiepiſcopum conſecrāti in Sācti Petri in Oliueto, & Epi
ſcopum Mutinenſem in maiore eccleſia anath. damnan-
1148 ti adſtitit an. 1148. Hic Arnoldum, & Perſicum Brixia-
nos Coſſ. hæreticos pertinaces acerrime exagitauit.
1152 Conſecrauit an. 1152. Idib. Aug. vna cum Oberto Archi-
epiſcopo Mediolanenſi Eccleſiā SS. Fauſtini & Iouitæ ma
ioris Brixiæ, præſentibus Gerardo Bergomenſis, & The-
baldo Veronenſis Eccleſiæ præſulibus. Obijt Non. Ianua.
1153. Sepultus eſt in S. Petro maiore iuxta altare S. Am-
broſij. *Triennio ante B. Conſtantius Eccleſia S. Mariæ, quæ in Conchis dicitur, ædificata humanis exceſſit.*

1154 RAIMVNDVS. Huic, & ſucceſſoribus Alexander III.
Pont. Max. prærogatiuā ſedendi in prouincialibus Syno
dis à dextris Archiepiſcopi Mediolanenſis, multo ante
1156 Brixianis Epiſcopis conceſſā, confirmauit. Hic an. 1156.
Brixianis Bergomatibuſq; controuertentibus arbiter ele
ctus vtrunque populū compoſuit. Hunc vt & Coſſ. Ciui-
1161 tatis Victor pſeudopapa anathemat is vinculo damna-
uit, eique Epiſcopatum abrogauit in ſynodo Laudenſi,
quod Alexandro catholico Pontifici adhæreret, & ad ſy-
nodum venire reſpuiſset. Ex Baron. in annal. eccleſ. to. 12.
Decimarum ad ſe ſpectantium donationem iam antea ec
1167 cleſ. maiori factam ratam habuit an. 1167. qui fuit quar-
tus decimus eius ſedis. Plebem S. Pancratij, ad Montem
1172 Clarū priuilegiis ampliſſimis illuſtrauit. Obijt an. 1173.
2. Non. Aug. *His temporibus Otho Brixianus Card. S. Nicolai in carcere Tulliano, ab Eugenio III. creatus eſt. De quo Panuinus, & noſtra tabula.*

1174 IOANNES FLVMICELLVS Brixianus tranſtulit
1175 nuper inuentas S. Calimerij reliquias in aram honeſtiſſi-
1177 mam, quod in vita S. Floriani retulimus. Is cum Alberto
Gambara paci Pontificem Alexandrum inter, & Federi-
cum I. Venetijs compoſitæ ad fuit. Eundem, cuius con-

ſilijs

Anno Dom. ſilijs vteretur, Henricus V. Cæleſtini III. Pont. max. roga-
tu Neapolim aggreſſurus ſecum duxit. Primarium lapi-
1191 dem in fundatione caſtri S. Georgii, quod nunc Vrceas
1196 nouas dicimus, ſolenniter poſuit. Priuilegia eccleſ. S. Pe-
tri in Olincto ab Epiſcopis prædeceſſoribus cōceſſa con-
firmauit. Obiit 4. Idus Nouembr. 1197. & in Raimundi
Epiſcopi ſepulchrum illatus; quod, vt diximus, in S. Petri
maioris baſilica conſtitutum erat. Iuſſit; hoc Epiſcopo
petente an. 1189. Petrus Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis
legatus SS. Fauſtini & Iouitæ tranſlationem diuinis offi-
cijs celebrari.

1200 IOANNES PALATIVS Brixianus. Interijt apud Ple-
bem Palatioli an. 1212. ineunte Auguſto cum præfuiſſet
annos 12. Tunc temporis falſo creditur Epiſcopus fuiſſe
Ieſus quidam id genus nomine plane indignus, homo
factioſus, & improbus, cum ab anno 1200. ad annū 1212.
ex publicis tabulis conſtet vixiſſe Ioannem Palatium.
Fieri certe poteſt vt in magiſtratu ſiue ſeculari, ſiue eccle
ſiaſtico fuerit aliquis eo nomine. Hoc enim tantum ſigni-
ficat vox illa Præſul a Capreolo vſurpata, Epiſcopum qui
dem fuiſſe non conuincit.

*Sub idem tempus Obitius eques Brixianus remiſſo diuinitus profa-
næ militiæ nuntio, pro militanti eccleſia fortiter facturus, reli-
quos vitæ actus religioſiſſimè iuxta & ſanctiſſimè abſoluit, & in
S. Iuliæ conditur, vbi eum piæ poſteritatis precibus euidentia mi-
racula facilem eſſe frequentiſſimè oſtenderunt. Capreol. lib. 5.*

1213 ALBERTVS Brixianus, ſeu Regienſis, vt alii. Hic anno
1215. Lateranenſi Conc. interfuit. Ad bellum item in Sa-
racenos ſuſceptum, cum Henrico Mediolani Archiepiſco
1217 po in Syriam vexillifer profectus eſt. Ex lib. 6. annal. Fran
corum à Paul. AEmil. Veron. conſcrip. Ciues inter ſe diſſi
dentes eximiæ cuiuſdam in omnes beneuolentiæ ſignifi-

Anno Dom. catione conciliauit, quare pater patriæ iure meritò poſtea appellatus. Qui & Patriarcha Antiochen. electus eſt.
His diebus S. Dominicus Brixiam appulit; & per dies aliquot moratus in cænobio SS. Fauſtini & Iouitę ad ſanguinem, nunc S. Afrę, à ciuitate ſibi conceſſo, videm inde proficiſcens B. Gualam præfecit. Carmelitæ quoque Brixiam è Syria profecti cęnobiolum & ſacellum Deiparę Virgini erexerunt.

1225 B. GVALA Bergomenſis ex nobiliſſima Romorum familia S. Dominici diſcipulus à cænobij, cui fuerat à magiſtro præfectus, ad Brixianæ eccleſiæ rectionem trãſijt, vniuerſa ciuitate ob ſingularem eius ſanctitatem id conſtantiſſimè flagitante. Huic nondum Epiſcopo inter precandum abalienatis ſenſibus, S. Dominicum in cęlum per quoſdam quaſi gradus Chriſtum inter, ſanctiſſimamque eius matrem duci videre contigit. Suſcepto Epiſcopatu legatus à Greg. IX. Sum. Pont. inter Patauinos, & Tauriſinos pacẽ fecit. In Vrbe Guelphos Gibellinis conciliauit. Federico Imp. aduerſarum Eccleſiæ partium duci ſeriò pœnitenti veniam à Sum. Pont. pacemque impetrauit. Sed cum annos 14. huic Eccleſiæ præfuiſſet, epiſcopatum
1239 depoſuit, Bergomumque profectus in Abbatia Sancti Sepulchri Aſtini quinto poſt anno ſanctitate clarus expirauit 3. Non. Decemb. 1244. Corpus, quod ibidem ante arã S. Martini tumulatum fuerat, in ara ipſa an. 1545. reconditum eſt.

HELIAS ROBERTVS Regienſis. Hunc poſteà ſextũ ex Latinis Patriarcham Antiochenę Eccleſiæ octo annis pręfuiſſe ex Panuino diſcimus, qui tamen inter Antiochenos Patriarchas Albertum non recenſet, monimentis noſtris contra Heliæ nullam, Alberti verò expreſſam mentionem facientibus. Obiit an. 1247.

Anno Dom. 1240 1251 AZO DE TVRBIADO, ſiue, vt alii, Turrianus. Hic an. 1251. Menſe Martio primum lapidem in fundatione domus fratrum Humiliatorum, de Gambara appellatæ, nunc S. Mariæ Magdalenæ, iecit. Obiit an. 1253. Prid. Id. Octob. & in S. Petro maiore ſepultus.

1254 CAVALCANVS SALA patritius noſter, ciuitate expetente ab Innocen. IV. Pont. Max. qui Brixiam venerat,
1258 ſuffectus eſt. Is an. 1258. Prid. Cal. Sept. apud Gambaram vna cum Philippo Rauennæ Archiepiſcopo, legato ſedis Apoſtolicæ in exercitu ab Ezelino tyranno captus, vinctus, & per publicas vrbis vias raptatus, & denique in exilium eiectus eſt, vbi exceſſit è vita an. 1263. & in parochiali Eccleſia Lueri huius diœceſis S. Georgio dicata ſepultus eſt. Subſcripſit fundationi monaſterii S. Iacobi prope Caſtenetulum inſtituti Caſſinen. Sedit an. nouem. *Quorum primo Fratres minores, qui in loco S. Georgij ad radices Cydnæi collis habitabant ad ædes S. Franciſco voto publico conſtructas vocati ſunt, empta à Coſſ. area.*

1263 VBERTVS FONTANA Placētinus, Vberto Marchione Palauicino, qui tum rem Brixianam gerebat adnitēte Epiſcopatum ſuſcepit. Eius ſingulare in ciues ſtudium partium furorem quo diſtracta vrbs æſtuabat eo, quo ille, non tamen integro vixit, triennio, ſedauit.

1266 MARTINVS amplius nouennium Epiſcopatum tenuit. Interfuit Conc. Lugdunenſi. ſacellum in ęde maiore S. Silueſtro erexit, & certum annuum redditum ei dixit, ibique poſt aram cum deceſſiſſet tumulatus an. 1275. Idib. Septembris.

Anno Dom. BERARDVS MADIVS Emanuelis F. patria nobilitate
clarus. Is an. 1293. Metropolitanæ Synodo pro Saracenis
1275 comprimẽdis indictæ interfuit. Princeps Brixiæ an. 1298.
1298 factus flumina duo ex Mella, & Nauilium ex Cliſi maxi-
mo patriæ commodo deduxit. Eremitanos S. Auguſtini
1302 in vrbem accepit. an. 1302. templum ſanctorum Coſmæ,
& Damiani cum monaſterio conſtruxit, tranſlato eodem
S. Titiani corpore, & ſacris virginibus, quæ ad eccleſiam
maiorem habitabant. Guelphis, quorum dux erat The-
baldus Bruſatus, expulſis, vrbem Gibellinorum poteſ-
tatis fecit. HIC EPISCOPORVM BRIXIAE
PRIMVS DVX, MARCHIO, ET COMES
NOMINATVS EST. Obiit an. 1308. Prid. Non.
Octob. & in æde maiori rotunda conditus. Sedit an. 33.
Eius corpus trecentis ferè poſt annis, cum Eccleſiã inſtau
raret Dominicus Bollanus, inſpectum, integrum reper-
tum, & loco mutatum eſt.

1308 FEDERICVS MADIVS ex Berardi familia ante le-
gitimã ętatem à capitulo, & clero electus, à Clem. V. legi
bus ſolutus, & confirmatus ab Archiepiſc. Mediolanenſi
1309 conſecratus eſt. Is ſummi Pont. iuſſu Arnaldum Cardina-
lem legatum iuuit vt caſtrum Thebaldum agri Ferrarien
ſis, quin & Ferrariam iniuria ereptam reciperet, aluitque
priuatis ſumptibus centum grauis armaturæ milites.
Inaugurationi Henrici VII. Mediolani vna cũ aliis Epi-
1311 ſcopis interfuit, ab eoque priuilegiorum ſuorum confir-
mationem conſecutus eſt. Vrbe pulſus, cum Gibellinis,
quorũ dux erat, præſto fuit, diſtrahentibus interim Guel-
phis theſauros, poſſeſſiones, tabulaſq; ipſas ad eius Ec-
cleſiam pertinentes. Ei tandem, vrbe Henrico dedita, re-
1319 ſtituto an. 1319. Epiſcopatus ab Io. 22. abrogatus eſt.
Qui aliquot poſt annis vi Scaligerorum, & Conradi Buc-
cæ principis Guelphorum omni ditione pulſus Mediola-

✠✠✠✠ num

Anno Dom. num conceſſit; vbi mærore confectus diem vidit extremum annum 1333.

1319 PERCEVALLVS FLISCVS Ianuenſis, depoſito Federico ſucceſſit. Is tamen epiſcopatum ceſſit

1325 TIBERIO TVRRIANO Mediolanenſi, quem Ioannes Pont.Max.à Derthonenſi,cui octo annis præfuerat ad Brixianam Eccleſiam an.1325.tranſtulit.Vita exceſſit 4.Cal.Ian. 1333.& in ſacello ſanctiſſ. Trinitatis eccleſiæ maioris ſepulturæ traditus. *Floruit hoc Pontifice B. Albertus Manducaſinus Brixianus ord. Prẹd. vir religione, & cætera virtute ſingularis.*

1336 IACOBVS DE ACTIS, Mutinenſis Theologus, ſacrę Rotæ auditor ſub Benedicto XII. Pont.Max. Hic Conradum Buccam Rochafranca abire, & ius ſuum dimittere apoſtolica autoritate coegit. Vita migrauit an.1344.die 4.Cal. Nouemb. & in Cathedrali eccleſia pro altari S. Iacobi ſepultus. *Eo ſedente Petrus Buduenſis antiſtes altare maius Eccleſię cathedralis S. Mariæ dedicauit, & quam plurimis ſanctorum reliquijs inſtruxit.*

1345 LAMBERTINVS BALDOVINVS Bononienſis. vita functus eſt 3.Non. Septemb.1349.& in Eccleſia maiori ſepultus. [illegible]

1350 BERNARDVS TERCARDVS, deceſſit Idib.Martij 1358.

KAI-

Anno Dom.	
1359	RAIMVNDVS BLANCVS de Velate Mediolanenſis, abbas S. Petri in monte Vrſino ord. S. Benedicti. Is an. 1360. Xenodochium S. Margaritæ Brixiæ à F. Antonio Vitharolo Peruſino fundatum tabulis publicis firmauit.
1364	HENRICVS DE SESSA. ſedit vſque ad an. 1369.
1370	AGAPITVS COLVMNA Romanus. idem videtur fuiſſe cum eo, quem Ciacconius aſſerit Epiſcopum Vlyſſipponenſem, quiq; an. 1378. ab Vrbano VI. Cardinalis creatus eſt.
1372	STEPHANVS epiſcopatum an. 1273. menſe Martio Andreæ ceſſit.
1373	ANDREAS Ordinis Sancti Auguſtini. Sedit vſque ad annum 1378.
1379	NICOLAVS ZANASIVS Cremonenſis iuris conſultiſſimus, vitæ probitate clarus cum vſque ad an. 1383. eccleſiæ noſtræ præfuiſſet ad Archiepiſcopatum Beneuentanum, ac deinde ad Neapolitanum tranſlatus eſt; diem obijt extremum an. 1389. 8. Cal. Septemb. & Cremonæ in cathedrali ſepultura affectus.
1383	ANDREAS SEGAZENVS Mediolanenſis. Hic videtur aliquot poſt annis quam epiſcopatum ſuſcepit ad Eremitanorum Sancti Auguſtini inſtitutum nomen dediſſe, retento tamen Epiſcopatu. Vitam poſuit an. 1386.

Anno Dom. 1388 Ab hoc tempore ad annum vſque 1400. duo THOMAE videntur Epiſcopatum tenuiſſe; Quorum prior fuit, ſi quid ſcriptoribus credimus, Mediolanenſis ex Vicecomitum familia, atque ex aliquo religioſo ordine aſſumptus (quandoquidem in publicis tabulis frater appellatur) & deceſſit annũ circiter 1398. Poſterior vero, cuius patria, familia, & dies ignorantur, à Bonifacio I X. huic eccleſiæ

1398 præfectus eſt anno pontificatus 8. qui in annum 1398. videtur incidiſſe: quo etiam anno illum nuper electum legibus ſoluit, vt ita extra ſtata tempora ordines omnes, Epiſcopalemque conſecrationem poſſet ſuſcipere. Ei defuncto ſuffectus eſt

1400 GVLIELMVS PVSTERLA Mediolanenſis, qui admodum adoleſcens, decimo nono videlicet ætatis ſuæ anno, ad Epiſcopatum à Bonifacio I X. anno Pontificatus IX. euectus eſt propter grandia (vt inquit ipſe Pontifex) virtutum dona legum iure ſolutus, vt ſtatim conſecrari poſſet, & epiſcopalia munera obire. Nec ſuam tamen eccleſiam vnquam adijſſe videtur, ſimultatibus, quę ſuum inter, & Brixianum principem intercedebant, im-

1414 peditus. Satis certe conſtat ab an. 1414. ad an. 1418. Bri- xię Epiſcopatum à Pandulpho Malateſta Bononienſi Ar-

1418 chidiacono adminiſtratum, incertò conſenſu ne Epiſcopi, an ſecus.

1419 FRANCISCVS MARERIVS Romanus à Martino V. ſuffectus eſt. Interfuit Concilio Baſileenſi, vbi, quod à Pontifice ſtaret, comprehenſus, & in cuſtodiam traditus, nec inde niſi tribus ducatorum millibus numeratis emiſsus eſt: Brixiam reuerſus an. 1434. epiſcopales ſedes hoſtili iniuria per bellum incenſas reſtituit, ciuitate in partem impenſarum veniente. *Per eos annos in vrbem ad-*

miſſi

Anno Dom. *miſſi Seruitæ, & Canonici Beati Laurentii Iuſtiniani, duorumque Sanctæ Felicitatis filiorum corpora SS. Vitalis, & Martialis in abbatia Leonenſi inuenta ſunt, quæ olim Deſiderius Rex ipſemet Beneuento tranſportarat an.* 759. Hic Marerius poſtea, quod eius nimias abſentias grauius ferret & conquereretur ciuitas, Eugenij IV. Pōt. Max. autoritate epiſcopatu ſe abdicauit an. 1442. *Hoc Pontifice an. ſcilicet* 1421. *Canonici Regulares S. Auguſtini eccleſia S. Saluatoris ad vrbis mœnia à Martino V. Pont. Max. ſibi conceſſa, huc tranſmigrarunt; Et B. Conradinus Bornatus ex Dominicana familia miraculis illuſtris ad cęlum abijt an.* 1429.

1442 PETRVS DE MONTE Venetus ex plebe, protonotarius apoſtolicus, vir omni ſcientiarum genere conſpicuus, cuius extant opera. Hic non ſtatim à ciuitate admiſſus eſt, cum illius eximiæ dotes aut ignorarētur, aut ſuſpectum facerēt, ne parum diligenter reſideret: at perſpecto ſingulari in ciuitatem ſtudio, ac propenſo ad reſidendum animo, publico conſilio honorificentiſſimè receptus eſt. Interim dum noſtri ciues cunctantur, ſummi
1445 Pont. miſſus legatum apud Gallos agit. Inde ſuſcepta epiſcopali adminiſtratione epiſcopalis palatii inſtaurationem proſecutus eſt, & primum lapidem in fundamento
1447 xenodochij maximi, nec multo poſt noui templi SS. Na-
1449 zarii, & Celſi poſuit. Quinque & quinquaginta quà virgines, quà viduas mirandis F. Alberti Sartianenſis con-
1448 cionibus ad pietatem excitatas, quæ ex præſcripto regularum S. Franciſci viuere decreuerant, in nouo S. Chriſtophori monaſterio collocauit. Monaſterium S. Mariæ de pace erexit. Obiit Romæ an. 1457. 12. Ianuarij, & ſepultus in baſilica S. Mariæ maioris.

1457 BARTHOLOMAEVS MARIPETRVS Venetus.

Anno Dom. 1459 Calendis Maij ſolenni pompa in Epiſcopatum venit. Is Fratres mendicantes S. Hieronymi nuper Brixiam aduectos in Eccleſiam S. Mariæ gratiarum induxit; & S. Calimerij corpus in Eccleſia S. Floriani in colle Digno parum decenter conditum in honeſtiorem eiuſdem eccleſiæ locum tranſtulit. Rabidæ canis morſu eximiè ſanctus interijt an. 1464. Prid. Non. Nouemb. & in Cathedrali ſancti Petri ſepultus.

1464 DOMINICVS DE DOMINICIS Venetus ex plebe, referendarius apoſtolicus, doctrina & rebus geſtis inter primos nobilis à Torcellano epiſcopatu ad Brixianũ à Paulo II. traductus eſt, quem ſexto demum anno inijt. Plurimis pro ſede apoſtolica legationibus eſt perfũctus. Multa edidit ſubtilis ingenij monumẽta. Hunc Federicus
1477 III. Imp. Principem, conſiliarium, oratoremq; ſuum in Romana curia appellat, nouoq; placito cõfirmat titulos Ducis Valliſcamonicæ, Marchionis Riperiæ occidẽtalis Benacẽſis, & Comitis Bagnoli, quibus ipſe ſucceſſoreſq; in perpetuũ vti poſſint. Deceſſit ſeptuagenarius, autore Tritemio an. 1478. 13. Cal. Mart. diuite ſuppellectili ſacrario Eccleſiæ maioris teſtamento legata, facultate tamen Sixti IV. Pont. Max. cuius in vrbe Vicarium agebat, & in cathedrali honeſtiſſime tumulatus. *Hac circiter tempora anno ſcilicet* 1468. *Canonici Regulares S. Saluatoris Venetijs accerſiti ſunt Monachi pariter Cęleſtini à S. Martini, vbi iam diu habitarant, ad Sancti Deſiderij templum deducti ſunt autoritate Pauli II. Summi Pont. Ieſuati quoque in vrbem recepti.*

1478 LAVRENTIVS ZANE patritius Venetus, Patriarcha Antiochenus. Hunc Sixtus IV. Pont. Max. Flaminiæ gubernatorem cum ſummo legati de latere imperio pręfecit.

PAV-

Anno Dom. PAVLVS ZANE anno ætatis ſuæ 22. eoque ſorte minor, epiſcopus deſignatus à Sixto IV. qui hoc illum eſſe
1481 iure voluit, vt an. 27. expleto ſolutus legibus in epiſco-
1486 pũ inungeretur, præfecto interim adminiſtrandę eccleſiæ Marco Nigro Auſerenſi Epiſcopo. Is primum lapidem
1522 poſuit condendo templo B. Mariæ gratiarum, cuius ſeſe imaginẽ miraculis coruſcantem, vna cum Mathia Vgo-
1526 nio Phamaguſtæ Epiſcopo vidiſſe publicis monumentis teſtatus eſt. Eiuſdem auſpicijs primo lapide poſito pa-
1492 latium vrbis, & noſocomium inſanabilium inchoatum eſt. Moritur ſeptuagenario maior an. 1531. die 12. Mar-
1523 tij, atque in templo maiori ſepelitur. Sedit annos 50. *Hoc Pontifice Laura de Gambara comitiſſa, eximiæ pietatis fęmina, pęnitentibus mulieribus ædem ſtatuit propè templum Sancti Deſiderij.*

1532 FRANCISCVS CORNELIVS Venetus S. R. E. tit. S. Pancratij presbyter Cardinalis à Clem. VII. creatus poſtea quam titulos S. Praxedis, S. Ceciliæ, & epiſcopatũ Præneſtinum adeptus eſt Brixianæ eccleſiæ perpetuus adminiſtrator fit, & maximo cum honore recipitur. 9. Cal. Iunij 1532. Diem obijt Venetijs 5. Cal. Octob. an. 1545. & in S. Saluatoris eccleſia ſepultus. *Non multo ante ad cęlites migrarat B. Dominica monaſterii S. Marię pacis alumna eximię ſanctitatis argumenta relinquens.*

1538 ANDREAS CORNELIVS Franciſci ex Fratre nepos primũ cameræ apoſtolicæ clericus, mox à Paulo III. Sum. Pont. tit. S. Theodori diac. Card. creatus, Archiepiſcopus etiam Spaletenſis, & Viterbi legatus apoſtolicus. Naturæ debitum ſoluit Venetijs an. 1550. & in patrui tumulum illatus. *Moritur eo ſedente B. Angela Mericia Brixiana, ſocietatis S. Vrſulæ fundatrix.*

DV-

Anno DVRANTES DVRANTIVS Brixianus ob morũ
Dom. candorem,humaniorum literarum,& iuris peritiam Pau
1550 lo III. chariſſimus, cuius cubiculi præfectus erat, cum
prius Algarenſis,& Caſſanenſis epiſcopus fuiſſet,presby
ter Card. Baſilicę XII. Apoſtolorũ,mox Vmbrię,Cameri
ni,&c. Legatus,tandem epiſcopatum Brixiæ an 1550.12.
Cal.Mart.accepit,eumque anno ſequenti Non.Iul.ingre-
1551 dientem honorificentiſſime ciuitas excepit. Mortuus
maximo patriæ dolore an 1558.Non.Cal. Ianuar. ſepeli-
tur in Cathedrali eccleſia.

1559 DOMINICVS BOLLANVS eques Venetus mul-
tis Reip. partibus egregie perfunctus, cum Brixianam
præturam gereret, ad epiſcopatum diuinitus vocatur.
1563 Hic ciuitatis noſtrę,& Cremonẽſis ob fluminis Ollij poſ-
ſeſſionem diſcordias feliciter compoſuit. Cathedralem
1572 Eccleſiam vetuſtate ſquallentem inſtaurauit. Epiſcopale
palatium ædificijs auxit, & auguſtius reddidit. Cleri-
corum ſeminarium erexit, & neceſſarijs redditibus mu-
niuit. Aſſiduus in eccleſia erat, illique reſtituendæ iuxta
Conc.Trid.decreta,cui interfuerat,enixè ſtuduit,ex quo
ſtudio pręclariſſimæ conſtitutiones emanarũt,quas pau-
1574 latim editas vna tandem omnes in ſynodo diæceſana an.
1574. promulgauit. Impleuit diem ſupremum an. 1579.
Prid.Id.Auguſti. Eccleſiæ vtiliter præfuit annos viginti,
menſes tres, dies duodecim. Sepultus in templo maiori
rotundo.Eius funus S.Carolus Borromęus,oratione etiã
ad populum habita,celebrauit.

1580 IOANNES DELPHINVS Venetus à Torcellana,cui
16.annos præfuerat,ad hanc eccleſiam tranſijt. Negotijs
pro Sede apoſtolica gerendis Gallias, Angliam, Germa
niam peragrauit, legationibuſque ad Maximilianum II

Anno Dom. & Rodulphum II. Impp. Pij V. & Gregorij XIII. Pontt. Max. nomine, maxima laude perfunctus eſt. Sedit annos 4. menſes octo. Vita functus an. 1584. Cal. Maij annos natus 56. menſem vnum, diem vnum. *Hoc tandem Pontifice Societas Ieſu, quæ multis ante annis miſſionis nomine in hanc vrbem aduenerat, ſtabilem collegio ſedem adepta eſt, anno videlicet 1583. S. Antonij templo, atque ædibus ab Hoſpitalis maximi decurionibus illi ad habitandum conceſſis.*

1586 IO. FRANCISCVS MAVROCENVS Venetus, vir præclare geſtis clariſſimus, qui, dum apud Henricum III. Galliæ Regem legatus apoſtolicus eſſet, à Sixto V. extra tempus S. R. E. Cardinalis tit. S. Mariæ in via, fa-

1590 ctus eſt, & ſimul legatus à latere. Fuit hic non minus in conſtituenda, & retinenda eccleſiaſtica diſciplinâ, quã hominibus ad eandem conſeruandam informandis illuſtris, ex cuius inſtitutione profectus Antonius Arboreus eiuſdem legationum, laborumque conſcius, & particeps ſumma nunc cum laude prudentię, & pietatis vicarias Illuſtriſſimi Marini Epiſcopi, in vniuerſa Brixiana Eccleſia partes agit. Deceſſit Maurocenus pauperibus ex aſſe hæredibus inſtitutis an. 1596. 14. Ianuar. ſedit an. x. menſem vnum, dies nouem. Sepultus in cathedrali eccleſia. *Hoc Epiſcopo cœnobitæ S. Franciſci de Paula ſedem apud nos poſuere, pauciſque poſt menſibus Capuccini in vrbem accepti ſunt.*

1596 MARINVS GEORGIVS Cardinalis Mauroceni conſobrinus ſucceſſor lectus eſt dum Clementis VIII. nomine nuncium ageret apud Sereniſſimum Ferdinandum magnum Hetruriæ ducem. Hic non multo poſt tempore quàm epiſcopi munus obire cœperat, primum lapi-

1598 dem in fundamento iacit Eccleſiæ ſacrarum virginũ Capuccinarum; pauciſque annis interiectis auguſtiſſimam

Cathe-

Anno Dom. 1604 1613 Cathedralem Eccleſiam, primo item lapide poſito, auſpicatur. Tranſtulit idem ſolenni ceremonia S. Iuliæ corpus, aliorumque innumeras ſanctorum reliquias in nouum templum illi dicatum. Promulgauit in frequentiſſima Synodo VII. Concilium Prouinciale, cui interfuerat. Hic vt multa adhuc præſtiterit ad eccleſiæ ſuæ decus, & ornamentum, ad pietatis ſtudia promouēda, eius tamen ſuperſtitis vita, quam Deus in multa ſæcula propaget, longe maiora quotidie pollicetur.

FINIS.

Z 1011. 16

SS 355808

MC